Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 1839

Quelle:
Copyright:

fito *Auguſtano* fundo redemto *a Stirpe Nothaft*, *Bavariam* a morte *Johannis* Ducis *Hollandiae* diviſam inter *Ludovicum*, *Henricum*, *Erneſtum* et *Wilhelmum*, quod anno 1429. adfigitur, quaedam corrupta de origine Civitatum *Lanczhut*, *Strawbingen* et *Landaw*, ſimilia de *Ratisbona*, de qua

Memini me legiſſe ſeptem nomina habuiſſe
Tiburtina quadrata ratiſpona nuncupata
Germaſheim hiatoſpolis (ὑετος) *regnopolis et imbripolis* &c.

Placet obſervatum: *Raro breves humiles vidi, longos ſapientes, albos audaces, rufosque fideles.*

Fol. 6. nitidius exarata ventilatur Quaeſtio: *An deceat portare funera extra eccleſiam parochialem ſepelienda, et ea preſentare prius ad eccleſiam matricem?* Ad hanc is ingreſſus: *Erat olim in ciuitate Memingen. Et precipue circa annos domini M. CCC. IX. circa defunctos talis conſuetudo, quod cadauera eorum non ſepeliebantur, quacunque hora diei ac noctis morerentur, niſi prius eius exequie peragerentur, et miſſa preſente funere in eccleſia celebraretur. Et iſte exequie ſiue peractiones cum miſſa preſente, ut premittitur, funere fiebant de omnibus tumulandis, ſiue in parochia, ſiue ab extra ſepulturam elegiſſent, Et in illis tunc temporibus inter rectorem eccleſie Sancti Martini Et priorem et fratres heremitas ordinis beati Auguſtini ibidem uerſabatur magna queſtio de ſepultura, quam pretendebant apud eos eſſe liberam, corporibusque defunctis apud eos tumulandis, et de canonica portione. Qui tandem poſt multas uexationes, iniurias et dampna, quas ratione huius ſibi in vicem irrogarunt, conuencione inter eos facta arbitrati ſunt in Reuerendum in Chriſto patrem et dominum d. Fridericum, tunc epiſcopum Auguſtenſem pro ſe et ſuis ſucceſſoribus, tanquam in arbitrem arbitratorem ſeu in amicabilem compoſitorem. Fridericus* is fuerit *Speth de Feymingen* anno 1330. denatus. Arbitratus eſt is, ut *Auguſtiniani* liberam haberent quorumcunque petentium ſepulturam, Corpora tamen prius ad Eccleſiam parochialem deferrentur, iisque praeſentibus fierent ſacra piacularia; tum, ut lis haec nunquam ad aliud tribunal, quam Epiſcopi *Auguſtani* devolvatur; demum, ut pars hanc compoſitionem violatura 50. *marcas argenti examinati ponderis Auguſtani* Epiſcopo et Eccleſiae *Aug.* et totidem Parti laeſae pendat. Ingruente poſt aliquod tempus peſte communi conſilio Corpora propter infectionis periculum illico terrae mandari coepta ſunt. Verum a. 1461. Rector S. *Martini* funera rurſus ad Eccleſiam ſuam, pomeridiano tamen tempore, praeſentari voluit, et *Auguſtinianos* detrectantes centum marcarum reos egit. Atque hanc Rectoris petitionem Theologus